

1) tione desisterent. Hac igitur occasione comes Bretoldus de Cimisberga [a], domini
 2) Frederici imperatoris et totius Italiae legatus, cum maximo exercitu Teutonicorum,
 Braibentinorum [b], Tascorum, Marchianorum et Spoletinorum, et Ravennates inte-
 griter cum toto suo districtu et forcia, et Livenses similiter cum toto suo episco-
 patu, et Foropopilienses cum Bretenoriensibus et toto suo comitatu, et Cæsena-
 tes cum toto suo episcopatu, et Ariminenses similiter cum toto suo episcopatu, et Mon-
 tefeltranus comes cum toto suo districtu, et comes Guido Guerra cum districtu, Pe-
 trus comes et Bonifacius et Rainerius de Rayaldino comites Castrocarii cum eorum
 districtu, Abbas quoque Galiatle cum sua forcia, Rocchi et Balbi [c] cum eorum forcia,
 et Malvicinus et Guido filii [d] Arardi, comites Bagnacaballi [e] cum eorum districtu,
 Rainerius comes Cunii, et filius Ramberti cum tota eorum compagna [f] et forcia,
 et Airaldus Gallerani cum aliis montanariis de episcopatu Faventino et Imolensi,
 et Iulianus quondam Guidonis Alberici filius cum comitatu Donicalliae [g], et Lam-
 bertus Rodulfi Albertini filius, et Guilielmus Thederici de Guilielmo, et Paganus de
 Posterla, et Cervienses cum suo episcopatu, et aliae innumerabiles gentes venerant
 Faventiam, super montem Sanctae Luciae [h] tentoria figentes [i]; ad quem cum ivis-
 sent civitatis rectores una cum praefato episcopo, ipsum, ut Faventiam aliquorum
 hortatu sine causa non molestaret, et civibus suam dignaretur reddere gratiam,
 rogaverunt obnix. Quibus Comes, magis praefatio quam iure civitatis [j], tale fertur de-
 disse responsum: Tunc nostram cum imperiali plenarie habebitis gratiam, cum pro
 arbitrio nostro, datis obsidibus, societatem Lombardorum ac amicitiam refutabitis
 penitus. De facto autem Nobilium nullam eis fecit mentionem. Haec cum audissent
 3) cives, sese numquam facturos firmissime promiserunt, addentes, quod prius vellent cum
 inimicis mori honorifice, quam aliquibus suis amicis, nedum Lombardis, frangere fidem.
 Quadam denique die Faventini, contra praeepta consulum armis assumptis, burgum exive-
 runt [k] Durbechi, volentes hostium castra invadere; tamen a consulibus redarguti
 domum revertuntur, et ante portas [m] civitatis in alveo fluminis sic armati faciunt
 concionem nimis visu terribilem. Tunc unus ex consulibus, Aureus nomine, facundia
 clarus, in rebus bellicis strenuus, stans super destrarium suum [n] super innixus hastae,
 quasi tubam vocem exaltans [o], sic orsus est fari.

Oratio domini Aurei.

« Audite cives fortissimi, audite cives bellorum magistri peroptimi, et qui glo-
 riari de hoste huc usque novistis, auribus cordis verba ista percipite. Nostrum et

[a] Bretoldus de Cimisberga, Codd. An legendum de Cunisberga? — [b] Braibentinorum. Chara-
 cteres C. M. obsoleti faciunt quo minus vera lectio elici possit. Videtur tamen legi posse, aut Braiben-
 tinorum, aut Brabantinorum, aut Brarbutinorum. C. V. habet, Brantensinorum. — [c] Rocchi et Balbi,
 C. M.; Roccha et Balba, C. V. — [d] Malvicinus et Guido filii. Sic lego. Pro filii, C. M. habet, fili. In
 C. V., lego filius. — [e] Arardi comites Bagnacaballi. Sic C. M.; Arardi comitis Bagnacaballi, C. V. —
 [f] cum tota eorum compagna. Sic Codd. An legendum, pro compagna, compagina, id est coniunctione?
 — [g] cum comitatu Donicalliae, C. M.; cum comitatu Donigalliae, C. V. — [h] Sanctae Luciae, vulgo,
 Santa Lusa, quatuor abhinc milliariis ad meridiem. — [i] tentoria figentes, C. V.; temptoria figentes,
 C. M. — [j] iure civitatis. Sic Codd. — [k] Haec cum audissent. Sic lego. In C. M., haec cum audis-
 sent; in C. V., hoc cum audissent. — [l] Burgo exiverunt. Codd., burgum exiverunt. — [m] ante portas,
 C. M.; inter portas, C. V. — [n] super destrarium suum. Sic C. M., scilicet, super dextrerium, sive
 equum. Super dexteram jam suum, C. V. — [o] quasi tubam vocem exaltans. Sic C. M.; quasi tuba voce
 exaltans, C. V. An legendum: quasi tuba vocem exaltans?